

IMPERATOR CÆSAR  
 MAXIMILIANVS II.  
 PIVS, FELIX, AVGVSTVS,  
 REX GERMANIÆ,  
 HVNGARIÆ, BOHEMIÆ,  
 ARCHIDVX AVSTRIÆ,  
 DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,  
 CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ,  
 Marchio Moravię, Burgouię, & Lufatię,  
 LAND. ALS., COMES HAVSP. TYR. &c.



Ascere fortunatissime MAXIMILIANE Herorum Sanguis auspicator ad scepra, & coronas: prodi in lucem de tuo fato, & famam securus. Kalendæ Augustæ ad vitam simul, & Imperium vocant, illustraturum supra omnes Maiores Tuos, post natum in Hauspurgicâ Domo Germanicum Imperium, pluribus proximis imperatorijs titulis Austriacos factos, Filium FERDINANDI I. CAROLI V. maximi Fratris Filium, RODVLPHI II. & MATTHIÆ I. Patrem, FERDINANDI II. Patrum, magnorum nominum inter Austriades Cæsares. Antiquarâ veteri ludorum superstitione, & augustâ nomenclaturâ, quæ ex Senatusconsulto, ac Plebiscito ad perennem Octaviani Cæsaris auspiciorum, ac triumphorum gloriam sexto mensi adscripta est, novâ institutione, & cognomenti imperatorij impositione idem sextus mensis inauguretur Augustus, MAXIMILIANI Austriaci Cæsaris natalibus initiatus. Et sanè ibunt posthac, redibuntq; kalendæ Augustæ non minus MAXIMILIANI Augusti, quam Ianuariæ Titi, Decembres Neruæ, Nouembres Adriani,

*Oritur*  
*kal. Aug.*  
 1528.

Adriani, Apriles Antonini, Februarię Constantini natalitijs splendoribus, geminato veluti serenissimo Sole, illustres; vno deinde MAXIMILIANO, cum eius humeris Germanicum sedit Imperium, & moderationem Titi, & Neruę clementiam, & Adriani æquitatem, & Antonini sapientiã, & Constantini fortitudinem, omnemque sparsum in alijs imperatoriarum virtutum numerum, in se colligente. Ipse quoque annus bonus Auspex MAXIMILIANO faustitatem præfagijt. Idem fertilis Herouum annus MAXIMILIANVM II. Cæsarem, ac PHILIPPVM II. Hispaniarum Monarcham maximum edit, alterum Septentrioni, alterum Occidenti orientem, tam æquis splendoribus, vt gemini Solis parelia dixisses in Austriaco coelo. Alium deinde MAXIMILIANO Augusto natalem horoscopum ne quare: ipse MAXIMILIANVS, & PHILIPPVS fortunatissimi terrarum Dominatores de suo omnem, & sibi, & illi in Austria, cã Domo struxerunt genituram felicitatis.

*Prima  
militaria  
tyrocinia  
sub Carolo  
V. Cæs.*

Prima ad omnem bellicam, tum militarem, tum imperatoriam virtutem rudimenta habuit sub Maximo Patruo CAROLO V. veluti sub Paulo Æmilio nouus Africanus, duobus equitum millibus Præfectus in bello Smalcaldico, vbi nobilis Tyro heroicę fortitudinis documenta edidit, quibus possent adulti etiam, ac veterani Cæsares gloriari. A naturã ita factus erat ad bellica decora, vt non videretur militari disciplinã egere, ita tamen omni tractandorum armorum scientiã animum adiecit, ac si nihil habuisset a naturã, tantã obedientiã castrensis Religione, vt posset suis exemplis Imperatorem creare, imò ante dignitatem de suo pro dignitate imperare. Ad quem vero non ascendat imperatoriã gloriã apicem MAXIMILIANVS tot Herouum hæres, tot titulis ad Imperium natus, tot naturã suffragijs electus, tantarum initiatus inauguratione virtutum, sub illius & Patru, & laudatoris auspicijs, cuius exercitus videbatur mouere fortitudo, castris præfici prudentia, stipendia merere fortuna, felicitas bella conficere, manibus omne Cœlum non calidum tantum Africanũ, sed frigidum Europæum palmas germinare, capiti omnis tellus in laureta syluescere, victorijs omnis Arx in Capitolium assurgere, classibus ipsa Æolia tota feruere, cui demum idem visum est viuere, & vincere, nisi quod cum in se viuere desijt, vincere cepit CAROLVS in FERDINANDIS, & PHILIPPIS. Ingens erat vis non solum manibus CAROLI bellatoris, sed oculis spectatoris: fiebat aspectabilis miles ipso spectante, neque vnquam magis, quam tunc in sole pugnabatur. Sub Imperatore semper victore, nihil discere potuit MAXIMILIANVS, præter victorias. A bellicã fortitudine ad ciuilem prudentiam traductus euocato a CAROLO Patre ad compescendos primos belgicos motus, prodromos illos ventos tot deinde procellarum PHILIPPO Regis, ne Hespero aliquo Austriaco careret Hesperia, qui Soli Austriadum splendidè succederet, Hispaniarum Regnis administrandis MAXIMILIANVS admouetur.

*Nuptia  
cum Maria  
Austriaca.*

Non amisit Hispania PHILIPPVM, sed mutauit, eãdem iustitiã sanctitate MAXIMILIANO amplissima Regna moderante, & Promonarcham maximum agente grandibus summã prudentiã exemplis. Ibi bonis

nis Auibus, vbi Aquilæ iunguntur Austriacæ, Iouis, nimirum potentissimæ Reginæ rerum felicitatis Ministræ fulminatrices, MARIAM II. Austriacam CAROLI Cæsaris Filiam, & PHILIPPI Regis Sororem vxorem duxit. Hac Heroinâ tibi MARIA ANNA ex parte cognomine, & in MARIÆ nomine, in Austriacis fastis felicissimo, Imperia præsignante, nulla fortasse omnium ætatum sceminarum pluribus, præter regios, imperatorijs titulis orbem terrarum nobilitauit, vt pote FRIDERICI IV. pacifici Abnepte, MAXIMILIANI I. Pronepte CAROLI V. maximi Filiâ, Nuru FERDINANDI I. Vxorē MAXIMILIANI II. RVDOLPHI II. & MATTHIÆ I. Imperatorum Matre. His dotari debuit titulis MARIA, vt Par Pari MAXIMILIANO nuberet, impleretque hanc quoque coniugij felicitatem. Et sanè plures fortasse Austriaca hæc Imperatrix Cæsares in se coniunxit magnæ cognationis nexibus, quàm vlla post Romani Imperij natales Cæsares familia, si Austriacam excipias, in suis fastis numerare possit. Quid à te MARIA ANNA expectandum erit, quæ Imperijs, quibus in MARIÆ nomine proludis, in ANNÆ nomine gratiam addis? An non expectanda aurea ætas, quâ Imperatrices Charites ex omnium virtutū pacatis consilijs administrâ felicitate Orbem terrarum moderabantur?

Postquam æternitati sui nominis, & gloriæ Austriaci sanguinis abundè in Hispania MAXIMILIANVS consuluit, in Germaniam rediens, vbi que noui sideris instar admirationem excitabat populis spectatoribus, lucemque inferebat. Inuictissimam, & pulcherrimam vincendi artem, quam à CAROLO Cæsare didicerat, Austriacis iam familiarem, statim sub paternis FERDINANDÆIS auspicijs exercuit. Ioannem Sigismundum Transiluania Principem, Solymani clientem magnis barbaricis auxilijs Pannoniam inuadentem victum, fufumque retudit, non minori famâ, plausuque per orbem orthodoxum, quàm gloriâ. Vifa est recurrere ad MAXIMILIANVM Pronepotem MAXIMILIANI I. felicitas. Illa enim saepe, sicuti Sol cælestes, splendidas in terris domos, iisdem recurrentibus virtutum aspectibus, non stellarum, pererrat. In huius vitæ Euripto bona, & mala fluunt, vt resluent, recurrunt vt abeant. Impleuit Maximus, MAXIMILIANI nomen, fecissetque illud suis gestis, nisi parentes vaticinati id quod futurum erat, præuertissent.

Victorem cum laureis, simul insertæ aureæ etiam coronæ exceperere, prouinciarum pretio triumphalem honorem si non superante, saltem æquante. Vno vix exacto anno hæ imponuntur, Bohemiæ, & Hungariæ Regnis, ac totius Septentrionis Imperio graues. Hoc felicitatis prodigiū nulli præter ALBERTVM II. honorificum Austriacum, & MAXIMILIANVM II. contigisse in historijs legitur. Sed omnia inuestata prodigia felicitatis iam solemnia dicas in Austriacâ familiâ. Eâdem laude felicitatis post adoptatum Cæsaris nomen auctis Imperij viribus, dum Patruelis Monarcha maximus PHILIPPVS contra Batauos in Belgio, MAXIMILIANVS contra Turcas in Hungariâ acie decernit, gloriosissimis quidem bellis, sed nec ibi perduellione penitus subactâ, neque hic barbariâ penitus fugatâ, vt haberent Austriaci Heroes suam vtrobiq; semper

*Dacia  
victoria.*

*Inauguratur Rex  
Hungaria  
Bobemia,  
& Romanorum.  
1562.  
1565.*

*Bellum  
Turcicū.*

Spartam, quàm ornarent. Solymano igitur contractis ex vtrâque Asiâ, atq; alijs Regnis, ingentibus copijs a Tauricâ Chersoneso per Seruiâ, & Bulgariâ Regnum in Hungariam irruenti MAXIMILIANVS paterni & sanguinis hæres, & nominis, cum centum lectissimorum militum millibus occurrit, præmissis cum gemino exercitu ad tutandos regni fines CAROLO, & FERDINANDO Archiducibus fratribus, in omnes hostiles conatus cautè vigilans. Othomanni Sulthani mors in oppugnatione Sigeti, Serinij Comitum constantiâ diu defensi, momentum belli fuit, imò & victoriâ, post Imperatoris lethum, nihil lætum sperante exercitu. Iræ enim simul cum capite cristæque ceciderunt, celereque fugam leuis metus consuluit. Inter bella, quæ per Legatos gessit ea fortunatissima fuere, quæ Duce clarissimo Lazaro Schuwendio optimis literis, ac moribus è sapienti, bonoque Imperatoris genio, instructissimo, grassanti per Germaniam, hæresi hoste insensissimo, rei que militaris scientissimo, peracta sunt, iaciente tamen omnem aleam felicitatis, Cæsaris fortunâ, & omnem ludum harum victoriarum, non sine manifestis è cælo auspicijs, ludente. Habet enim stipendiaria manus, vt vincat, pugnæ leges à capite imperante, non à ferro pugnante, cum & exanimè ferrum iaceat sine manu, & cæca manus sine capite feratur in præceptis. Ita sine acie mentis, quæ omnia regat, & militum acies cæcutiunt, & ipsa ferri acies hebescit. Occurrere principi magnorum consiliorum pares administratos, felicitati adscribatur, eligi prudentiâ. Quo pacto prosperè Luna ducatum præbeat aureo stellarum exercitui, nisi à Principe Planetâ Sole radios, & in ijs veluti lucis imperium accipiat? Quasi vero deinde magnum MAXIMILIANI caput tergemina Hungariâ, Bohemiâ, atque Imperij occidentalis corona non impleret, & angusta esset Augusto Heroi Germania, Galliâ Henricum Valesum è Polonico Solio ad suum trahente, diuisis suffragijs MAXIMILIANVS Cæsar cum Stephano Battoreo Transilvaniâ Principe ad illud vocatur. Nouum hoc fuit Austriaci generis decus, & magnum. Sed cum nihil esset quod optaret extra suam fortunam MAXIMILIANVS, & nouæ factiones Polonica aduersarentur nimis Austriacæ potentia, vellenteque, vti solemne est apud illam nationem, Principem indigenis viribus, & armis valentem, non peregrinis, Principatum reiecit.

*Vocatur  
ad Polonia soliu.  
1575.*

1576.

*In eius  
Aula  
omnium  
literarum  
artiumq;  
viri re-  
gnarunt.*

Alia inuitabatur ad Regna è Cælo, ad quæ paulò post migravit in comitijs Ratisbonensibus, præmissâ RVDOLPHI Filij bonæ mêtis, & magne potentia paternæ heredis, ad Imperium inauguratione. In MAXIMILIANO II. superius sæculum eas suspexit regias Charites, quas olim in primo; quasi in secundo primus reuixisset, sapientiam, felicitatem, virtutem. Iltæ ab Austriadum CÆSARVM Augustali nunquam exularunt, & vel in ipso tuo nomine MARIA ANNA gloriosissimi sanguinis herede, regnant. In Martialibus, æque, ac Mercurialibus artibus floruit, & has in alijs etiam impensè fouit. Omnes literæ MAXIMILIANOS Austriacos laudabunt, amantiſsimos omnium literarum, præsertim communis scientiarum oratrix eloquentia pro suis ipsis coronatis eloquentibus Patronis perorabit. Fama erat eâ etate, plures in MAXIMILIANI Cæsaris Aula regnare literatos, quàm in aliorum omnium Principum orthodoxorum Regijs

gijs seruire, Imperatorio Augustali Athenęum oratoribus, Lyceum Philo-  
sophis, Poetis Parnassum, Areopagum iurisperitis magnificę apęriente,  
& laureatę illę Austriadum Heręum Domo omnis generis lareas pro-  
germinante. Ita reuocatum est aureum literarum seculum, quod olim a  
primis Iulię familię Cęsaribus per Flauiam, & Āliam, pręter Oratores,  
ac Poetas, Philosophos quoque Imperatores habuit in Antonino, nisi ve-  
lis etiam superatum ab hoc Austriaco seculo, quo imperantibus MAXI-  
MILIANIS, FERDINANDIS, RODVLPHO ac MATTHIA, auspiciatif-  
simis reipublicę literarię nominibus inueniri etiam potuerunt Mecenates  
in Augustis: Alchimię hac innocenti liberalitatis vti Principes pro arbi-  
trio possunt, & ferrea liquare secula, & aurea cudere. Illud etiam a MA-  
XIMILIANO I. hereditarium decus habuit II, vt & multarum linguarũ  
peritię OMNI-LINGVIS diceretur, & Austriacus Mithridates. Com-  
mendauit hoc decus, addiditq; pretium prudenti, quod etiam de CA-  
ROLO V. Patruo celebratur, eloquentię ipsius regię dispensatione, ita  
vt instar polyphonę cytharę discordi concordię attemperatę officiorum  
blanda molliter Gallus dicitaret, colloquiorum seria grauitę Italus pro-  
nunciaret, imperiorum grandia magnificę iactaret Hispanus, minarum  
aspera furiosę Germanus ebulliret. Ita tamen eloquens erat MAXIMI-  
LIANVS, vt ad suasionem bonorum morum, nullę indigeret eloquentię,  
illos enim a Personę suę suadebat etiam cęm taceret: ita OMNI-LIN-  
GVIS, vt nec bilinguis esset, synceritatis Augustę sole nullam maculam  
admittente, ne quidem leuissimam. Hosce Hermathenas sapientię, &  
fortitudinis monstra, conflatos ex Pallade, & Mercurio Principes armo-  
rum, & litterarum glorię immortales, ac propę Diuinos, non Africa, sed  
Austria parit.

*Omnia  
linguis di-  
ctus a lin-  
guarũ pe-  
ritia.*



126  
MAXIMILIANVS II.  
Genethliacon.

MAXIMILIANVS II. Kalendis Agusti nascitur  
Eodem, quo PHILIPPVS II. Monarcha Hisp., anno.  
*Hanc breuem historicam Epygraphem genethliacon puta  
Augusto nascenti.*

*Et dies natalis, & mensis, & annus muti Oratores  
Panegyricum sibi diuident.*

*Augur adulti Solis Aurora,*

*Eloquitur roseo ore totius diei vitam.*

*Eadem Kalenda ad imperium simul vocant, & vitam.*

*Etiamsi nulla de celo astra arrideant,*

*Ipsa natalitius dies nunc primum horoscopus fortunatissimus  
Esse Heroi nascenti potest.*

*Qui MAXIMILIANUM ederet è sui nominis etymo*

*Quod habet in fastis, & quod dabit factis maximum,*

*Imperatoris quinque consanguineis titulis,*

*Supra omnium ante Caesarum fortunam, coronatum,*

*Esse debuit mensis Imperator.*

*Etiamsi citra Octauiani triumphos*

*A solo ortu MAXIMILIANI*

*Sextus Mensis indigitetur Augustus,*

*Nec ludi Circenses, vt Casari,*

*Sed Olympij vt Heroi instituantur.*

*Non impar Augusto mensi*

*Annus genitor auspiciam tulit.*

*Fertilis Heroum*

*Gemini Solis parelia dedit,*

*MAXIMILIANI, & PHILIPPI.*

*Uterque tamen magnis splendoribus*

*Semel ortus, nunquam occidet,*

*Imò*

*Imò alter alteri fulgebit  
Ortu simul, & immortalitate, coæuus,  
Et geminum simul hemispherium  
Uterque illustrabit.*

*Hiscæ auspicijs MAXIMILIANVS II. nascitur.*

*O felices Heroas Austriacos!*

*Qui fastis illos inscribit, dies, mensis, annus, natalis,  
Genethliacon est,*

*Et ingens summa felicitatis elogium.*

SYNOPSIS GENEALOGICA  
A MAXIMILIANO II.  
AD RODVLPHV M II.



Æreditaria à FERDINANDO Patre ad MAXIMILIANVM Filium, transcripta est prolis fecunditas, vnde etiam ipse quindecim liberorum corona supra imperatoriam, ac regias donatus est, quos reliquit hæc redes Sanguinis, Vindices nominis, potentiaæ Assertores. Hoc ordine recensiti inveniuntur.

RVDOLPHVS inter Principes Austriacos VI.  
inter Imperatores II.

ANNA VI.  
FERDINANDVS IV.  
ERNESTVS II.  
ELISABETHA X.  
MARIA IV.  
MATTHIAS I. Cæsar.  
MAXIMILIANVS III.  
ALBERTVS VII.  
VVENCESLAVS I.  
FRIDERICVS VII.  
MARIA V.  
CAROLVS IV.  
MARGARITA VII.  
ELEONORA IV.

RVDOLPHO, adhuc viuentis Patre MAXIMILIANO, communicatum fuit Imperium, iam tum æquissimas vires ad tantum pondus dignitatis afferenti, quod postea summa cum gloria domi, forisque sustinuit. ANNAM Philippo II. fororis MARIÆ Filiam, eo vinculo cognationis eidem illigatam, quo tu MARIA ANNA potentissima Hispaniarum Regina PHILIPPO IV. maximo coniugaris, MAXIMILIANVS parens matrimonio iunxit. FERDINANDVM IV. vix natum cum magni nominis auspicijs, celum ad se rapuit. ERNESTVS in Aula Hispanica

Hispanica educatus fuit, tum gymnasio regnatricis prudentiæ, & omnium Reginæ huic, ancillantium virtutum, apud PHILIPPVM II. de quo cum regnaret illud cani poterat citra adulationis poeticiæ notam.

*Similem quæ pertulit ætas*

*Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret*

*Vivere sub Regno, tali succumberet Aula,*

*Fabricius, cuperent ipsi seruire Catones.*

A Sixto V. Insignibus deinde Ecclesiæ Propugnatoris Viennæ decoratus, dum nitentibus Belgicas prouincias Hispano Monarchæ reconciliare, morte inuidente tanti facinoris gloriam, in ipso conatu sustulit, a quo maximè etiam laudari meruit. ELISABETHA Carolo IX. Galliarum Regi nupsit, & eo mortuo in Viennensi Clarissarum Canobio vitam regia è cælo spectantibus traduxit clariorem. MARIA translata est ab incunabulis ad feretrum.

MATTHIAS Cæsar Rudolpho fratri Hæres in Imperio è Cœlo destinatus optimis moribus, qui firmamenta regnorum sunt, solium firmavit.

MAXIMILIANVS magnus magister sacre militiæ Theutonicorum Equitum, Rex Poloniae electus, potentiori factione pro SIGISMUNDO Sueco religiosissimo alioquin & fortissimo Rege stante, adnitente præsertim magno Regni cancellario Zamoscio cedere coactus est. Fuit acerrimus orthodoxæ Religionis vindex, & hæreseos hostis. Multis prælijs claruit, præsertim Turcicis in Hungaria, gloriamque Austriaci Sanguinis propagavit.

ALBERTVS Burgundionum, ac Belgarum Princeps, prudentiæ, ac fortitudinis laude, magni Principis sibi famam conciliauit, sed præcipuè ob reiectum summam moderatione fraternum Imperium in FERDINANDVM II. Pium, Maximum deinde translatum. Ille adoptatus est princeps, quem propter suas virtutes omnes populi optare poterant. Huic, & MAXIMILIANO debet imperium FERDINANDVM II. & in eo suam felicitatem. VENCESLAVS I. Eques Militensis in flore ætatis contabescens, mortem oppetijt. FRIDERICVM VII. adhuc lactentem vis morbi immaturum ab vberibus nutritis abstraxit. Idem fatum sortiti sunt CAROLVS MARIA, & ELEONORA. MARGARITA auerfata mortales sponfos lilia virginitatis hymenæi rosas præferens, Dei Filio nupsit in Parthenone regio, Discalceatarum, Mantuæ Carpentanorum, mundoque valere iusso, & calcato, cælestia propius spectare cæpit, & facere, omnium virtutum in tam leuera vitæ institutione, exemplar.





150

